neris ſunt Gnomones, Armillæ, Regulæ parallatticæ, Radii, Quadrantes, Sextantes, Teleſcopia, magno ingenio excogitata, & ſolerti induſtriâ elaborata; de quibus extant libri à Tychone, Hevelio, Hookio in lucem editi. Poſterioris generis ſunt Sphæræ, Globi, Planiſphæria, Syſtemata, Theoricæ, Tabulæ; in quibus concinnandis, & ex Geometriæ & Arithmeticæ fontibus derivandis, indeque motuum rationibus ad tempus quodvis præteritum vel futurum ſubducendis, occupatur labor Aſtronomorum præcipuus. Quemadmodum autem negotium hoc non eſt unius ſeculi, nedum hominis; ita poſteris Anteceſſorum laboribus utendi fruendi jus eſt. Sed & qui dudum ab aliis adjuti fuerant, adjuvare porrò alios, eodem jure tenentur. Cùm igitur viderem, ab antiquis pariter ac modernis authoribus (quorum alios nominavi ſuprà; alii, veluti Mæſtlinus, Mulerius, Crugerus Dantiſcanus, Ricciolus, etiam atque etiam laudari merentur) multa nobis relicta monumenta planè aurea, eaque digniſſima, quæ omnium oculis ob-

 verſarentur;